

U  
nter Wigandos, Loeselios, Helwingios, quorum indu-  
stria Florae Prussicae thesaurus fere plane patet reclusus,  
neutiquam sua laude fraudandus est MICHAEL TITIVS,  
qui plantarum pulchritudine captus, stirpium exoticarum  
in Horto Electorali Regiomontano tempore suo culta-  
rum edidit catalogum. \*) Opusculum hoc inter maxi-  
me rara Prussica scripta habetur, et quamvis fere om-  
nem

A 2

nem

- \*) Titulus integer hic est: *Catalogus plantarum Horti Electoralis Regiomontani, recensitus a Michaele Titi, Prusso, rei herbariae Cultore. Regiomonti, typis Iohann Reusneri, 1654. 12mo. 2½ pagell.* Qui plura de Autore legere cupit, adeat ARNOLDUM (Zusätze der Historie zur Königsbergischen Universität p. 199.) et BOCKIVM (in praefationis ad Tom. III. des Versuchs einer wirthschaftlichen Naturgeschichte von Ost- und Westpreußen p. VII.) Salvis TITII meritis coniecturae WVLFII (in praefatione ad *Floram Borussicam de-nuo efflorescentem*) consentire nequeo, scilicet plantas in LOESELII *flora Borussica* enumeratas a TITIO esse collectas, a LOESELIO vero ceu perpetuo valetudinario modo editas. Hunc non semper fuisse valetudinarium Facultatis medicae acta, ab istis temporibus conseruata, manifeste testantur. Indicant enim, LOESELIVM ob plantarum amorem saepissime intra patriam peregrinasse, et Decanatus labores, ordine ipsi tangente, hac ex causa Collegis imposuisse.